



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bavaria Sancta Maximiliani Sereniss. Principis Imperii,
Comitis Palatini Rheni, Vtrivsq. Bav. Dvcis Avspiciis**

Rader, Matthäus

Monachii, 1615

S. Maximilianvs Lavreacensis Pontifex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79686)

S. MAXIMILIANVS ARCHIEP. LAVREACENSIS.M.



Ardens Illyrici cum ferueret ira tyranni,
Et miceret totos falce Deciana greges,
Territa gens CHRISTI per et inuicta et aula fugit,
Ausa (nefas) stygio pars adolere Ioui.

Præsulis erubuit tormentis cadere VIRTUS,
Mille parata cruce, milleq. ferre neces.
Macte esto tantis, MAXAEMILIANE, triumphis,
MORTVA IAM MORIS EST, NON MORIETVR HONOS.

DE S. MAXIMILIANO PONT ET M.

S. MAXIMILIANVS ARCHIEP. AVSTRIENSIS



IN HOC MONUMENTO REQUIESCENT
S. MAXIMILIANVS ARCHIEP. AVSTRIENSIS
ET S. ANTONIVS ABBAS MONAST. S. ANTONII
IN SVBANO MONAST. S. ANTONII
IN SVBANO MONAST. S. ANTONII

IXAM 3

C 3

S. MAXIMILIANVS

LAUREACENSIS

PONTIFEX.



Axima virtus huius Maximiliani iniquissimis Reip. Christianæ temporibus enituit, cum veluti Machabeus impijs idolorum sacris se obiecit, alijsq; metu suppliciorum dubios sua constantia ad mortem intrepide subeundam firmauit: tanti est antistitem ad humanos casus esse interritum. Perscripta de illo historia in Varnpachensi bibliotheca seruatur, quam nos fortasse M S. habemus. Scripsere de eodem Cuspinianus in Austria, Hundius in Metropoli, quæ ex Breuiario Batauiensi legitur, cuius epitomen referemus. Marcus Velserus, cuius Manibus benè precor, ex ratione Imperatorum S. Quirino Maximilianum tempore facit priorem, cuius sententiam & diligentiam sequi præ cæteris solemus.

ccLxxxiv
Martyrol.
Rom. 12. O.
Gobru.
Batauii
Chro. MS.
Cuspinianus in Austria.
Hundius
Metrop.
Marcus
Velserus
reus Bure.
13. Molda.
nus 29. O.
dieb. p. 175.
Varnpach.
12. Octob.
Vna MS.

Celeiæ Pannoniæ oppido claris natalibus & fortuna copiosa natus, ad vnius cultum numinis, morumque honestatem, & virtutis omnem elegantiam in ipsa pueritia ab Oranio Presbytero eruditus, maximè in miseros benignus fuit, vt amplas etiam à parentibus acceptas opes in egentium vsum liberaliter partiretur, Laureaci Pontifex postea creatus. In proscriptione Christianorum Deciana jam vtroque parente priuatus, seruitia manu miserat, opes, pleraque reliquas omnes in pauperes sparsas, profugus Romam ad Xistum II. Pont. Max. venit, à quo pro laborante in Pannonijs Ecclesia, iure sollicito, inductus est, vt Patriam repeteret, remque Christianam crudelibus tyrannorum edictis & præsidum immanitate pressam dissipatamque velut ex naufragio colligeret. Non recusauit Maximilianus, nec laborem pro patria, nec discrimen capitis pro Christo. Accessit & S. Quirini tum Aquileiæ Antistitis auctoritas, qua impulsus & sancta Rom. Pontificis, hoc est, orbis totius patris appreciatione confirmatus, Laureacum cuius possessionem tribunalis, Martyr postea Quirino cessit, caput Norici riparij petijt, legem Christianam pro concione promulgauit. Cum Laureacensem pontificatum ipsis prope viginti annis magna cura administrasset, redeundum sibi Celeiam ad patrium solum putauit, vt & ibi si consieri posset, Christi nomen propagaret. Eiulafius præses publicis edictionibus omnes Marti operari iussit, & fuere (vti semper in tritico filix,

DE S. MAXIMILIANO LAUREAC. PONT. ET M.

inter apes, fuci) qui metu suppliciorum degeneres Christi milites Marti adolerent, quod Maximilianus, non secus ac Machabæus olim indignissime passus, in medium forum non dubitavit profligare, præfectumque impietatis accusare, quod cultum vni sempiternoque debitum numini, rebus conditis & infimis transcriberet. Eiulans sibi ab inferiore & Christiano præscribi non passus, & omnia post aliquot dissertatiunculas, verborum contentione, qua se victum sentiebat, à verbis ad vim & gladium appellavit, sanctumque hierarcham cædi iussit: nec alter mortem recusavit, qua se ad vitam perveniturum sciebat. Occubuit IV. Id. Octobr. extra pomerium. Sacrum corporis pignus à D. postea Ruperto Laureacum translatum, magnificis & illustribus templorum operibus eius nomine conditis celebratur: Henricus sanctus, quem secundum appellamus, Laureaco Batava Boiorum deportavit, ubi hodieque summa cum religione custoditur.

Collocarem nunc ex MS. codice eandem historiam, nisi auctoris me ridicula notationes nominis Maximiliani, alique nonnulli errores retardarent. Scriptor non videtur antiquus, sed ex religioso posteriorum temporum seculo barbaro tamen & rudi
si linguam; culto & sancto si mentem &
pectus spectes.

